



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

G. Lvnen. Episcopo ejúsque successoribus canonicè substituendis in
perpetuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

gratia, odio, vel timore subtraxerint, quò minus testimonium perhibeant veritati, ad id per districtiorem ecclesiasticam appellationem remota compellas. Datum Laterani III. Nonas Martij.

G. LVNEN. EPISCOPO
ejusque successoribus canonicè substituendis
in perpetuum.

Epist. 41.
Super concessione & confirmatione Abolens monasterij, ad Romanam Ecclesiam pertinentis.

AMpla divino munere manus apostolicæ sedis hos humiliat, hos exaltat; his superflua subtrahit, aliis necessaria subministrat. Ipsa etenim, tanquam mater omnium generalis, cum personarum merita, & temporis & loci qualitatem attendat, hos onerat, hos honorat; immo sæpius honorem oneribus & onus honore compensans, & onerat honoratos, & oneratos honorat. Hac siquidem ratione inducti, specialem gratiam, quam ad personam tuam tuis exigentibus meritis & Lunen. Ecclesiam propter te gerimus, attendentes, ac volentes ipsius Ecclesiæ utilitati consulere, de communi fratrum nostrorum consilio monasterium Abolense, quod ad jurisdictionem sedis apostolicæ pertinebat, cum pertinentiis suis tibi & per te ipsi Ecclesiæ concedimus, confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus, tam te ipsi prodesse quam præesse volentes, ut honorem quem super hoc tibi exhibemus attendens, onus & provisionem ipsius monasterij taliter exequaris, quòd in temporalibus & spiritualibus per tuum studium, auctore Domino, reformetur; nec tu aut successores tui privilegium amittere debeatis, si concessa vobis abusi fueritis potestate. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum &c. Datum per manum Rainaldi Domini PP. Notarij, Cancellarij vicem agentis, XVII. Kalend. Aprilis, Indiæ. prima, incarnationis Dominicæ anno M. C. XCVIII. pont. verò Domini Innocentij PP. iij. anno I.

ABBATI ET CONVENTUI
Monasterij Abolen.

Epist. 42.
Vt Episcopo Lunen. debeant obedientiam & reverentiam exhibere.

AMpla divino munere manus &c. ut supra ferè in eundem modum usque ad verbum reformetur. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ipsi tanquam Episcopo vestro reverentiam & obedientiam de cetero exhibentes,

salubria monita & præcepta ipsius irrefragabiliter ac sine qualibet contradictione servetis. Datum Laterani.

KNESNEN. ARCHIEPISCOPO
& suffraganeis ejus.

Apostolicæ sedis benignitas, sicut ex debito pastoralis officij ad omnes fideles generaliter affectum caritatis extendit, sic eos, quos circa servitium suum & Christianitatis honorem devotiores invenerit, speciali tenetur patrocinio confovere. Unde fidem & devotionem dilecti filij nobilis viri Boleslai Ducis Poloniæ sancta Romana Ecclesia, cujus sumus regimini, sicut Domino placuit, deputati, manifestis jamdudum experta iudiciis, meritò ipsum brachiis specialis dilectionis amplectitur, & in justis petitionibus ejus inveniri gaudet facilis & benigna. Sanè cum pluries, sicut accepimus, apostolicum receperit fraternitas vestra mandatum, ut memoratum Ducem, quem sicut catholicum Principem & Ecclesiæ Romanæ filium specialem quadam dilectionis prærogativa complectimur, ab impugnatoribus suis auctoritate curaretis apostolica defendere, sibi que contra hostium suorum violentos insultus ecclesiasticæ defensionis clypeum indulgere, nondum tamen, sicut nobis intimatum est, commodum aliquod de literis apostolicis reportavit, nec prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum iussiones, quæ super hoc sæpius emanasse noscuntur, effectus est debitus subsecutus. Quare meritò de inobedientia potestis & negligentia reprehendi. Quia igitur in eo loco nos clementia divina constituit, ut suam cuilibet debeamus justitiam conservare; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus universis Poloniæ Ducibus ex parte nostra curetis districtiùs inhibere, ne præfatum Ducem in persona vel rebus offendere præsumant quomodolibet, vel turbare, aut ei super his quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis poterit, Deo propitio, adipisci, molestiam inferre audeant indebitè, vel gravamen. Quòd si commotionibus vestris acquiescere fortè noluerint, vos eos ad hoc per excommunicationis sententiam auctoritate nostra sine appellationis obstaculo compellatis. Nos enim senten-

Epist. 43.
Vt impugnatores B. Ducis Poloniæ, nisi ab ipsius molestatione destiterint, ecclesiasticam centuram percellant.

Epist. 44.
Vt archidiaconi & canonici in ecclesiis & capitulis sicut in hoc observaverint.